sunt. Sed nemo facilè se miserum credit, licet sit,
donec se cum feliciore comparaverit: itaque ceterorum
miserorum hominum conditionem statumque investigare ac
perquirere necesse est. Et in primis initium sumamus
ab his qui maria sulcant et nauticam profitentur, quot
quæso pericula dies noctesque perpetiuntur? quæ eorum
domus et habitaculum, nisi putidus, squalidus et angustus
carcer? qualis ratio vitæ eorum? cuiusmodi sunt vesti-
menta, nisi imbrium spongia? sunt semper errones et ex-
ules perpetui absque requie aliqua; ventis, pluvijs, gran-
dine et nivibus acti, imò omnibus cæli iniurijs ex-
positi vitam periculis plenam transigunt, ut meritò qui-
dam è veteri lyceo philosophus pronuntiârit, tribus dun-
taxat digitis à morte eosdem distare, scilicet pro cras-
sitie spissitateque tabularum, in quibus navigarent.
Sed si horum vitam miserabilem quidem ut videtur, cum
vita eorum qui oculis orbati sunt, comparare licet, non
miseriam sed meram felicitatem illam dicemus. Quæ enim
vita cæcorum? quam misera, quàm dura, quàm pericu-
lis plena? nullum sine periculo pedem securè figunt.